

lat ex se, quod tali periculo aliquis se exponat. Constat autem quod propria conservatio postponenda est bono communi, ut defensioni fidei, vel patriæ, sicut etiam postponenda est vitæ spirituali proximi, quia superius bonum est; ergo pro talibus casibus etiam obligat cum gravi metu, quia metus mortis non potest magis excusare, quam ipsa mors, quam tamen tenetur quis pati quando periclitatur bonum commune, vel bonum superius. Similiter si fiat in contemptum legis, clarum est fieri contra bonum commune: quia non solum transgreditur legem, quod pertinet ad contemptum generale, sed etiam ipsam legem in se parviperit, renuens illi subjici, quia lex est, et non solum illam implere, quia onerosa, vel difficilis: hoc enim propriè distinguit inter contemptum legis, et transgressionem simplicem, quod utraque repellit legem, sed transgressio propter onus legis, contemptus propter auctoritatem, et superioritatem, quia renuit superioritatem illius. Unde contemptus legis non est sine contemptu legislatoris, atque adeo nec sine dehonoratione boni communis, quod in ipsa superioritate consistit. Constat autem, quod bono communni semper postponendum est privatum. Et ideo si in contemptum præcepti affirmatiyi, præsertim divini, et ecclesiastici, cogatur fieri, obligat etiam cum metu mortis. De præcepto civili posset aliquis hærere, quia non quilibet contemptus legis, et dehonratio illius ita dissolvit bonum commune sicut contemptus Ecclesiæ, et Dei, qui quodammodo tangit ipsam fidem. Non sic in quolibet contemptu alicujus pragmaticæ, vel legis

municipalis, aut principalis, sed bene in illa ex cuius contemptu imminet ruina regni, aut aliqua sedatio, et gravis turbatio, quia hæc est sicut defensio patriæ ab hoste, quæ obligat cum dispendio vitæ.

XLIV. Verum est, quod quando ex metu peccatur, diminuitur culpa pro ea parte, qua diminuitur voluntarium. Quod si sit levus metus non totaliter excusat in re graviter præcepta. Et sic intelligitur decisio textus in capite Sacris, de his quæ vi metusve causa, quod propter nullum metum est communicandum cum excommunicato; intelligitur enim non de nullo metu absolute, sed qui fit in contemptum legis, aut si metus sit levus. Vel forte magis ad litteram intelligitur de communicatione cum excommunicato in ipso crimine propter quod est lata excommunicatio, cum expresse textus dicat: Quod quia non prorsus excludit culpam, cum pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurtere, excommunicationis labore credimus inquinari. Loquitur ergo textus in casu, quo quis communicat excommunicato cum peccato mortali. Quod utique tunc maxime fit cum communicat cum eo in crimen.

XLV. Restabat agere de voluntario, et involuntario ex parte ignorantiae, vel concupiscentiae, sed quia in his, quæ fiunt ex ignorantia, vel concupiscentia non tam attenditur ipsa ratio voluntarii, vel involuntarii, quam aggravatio, vel diminutio culpæ, quod pertinet ad tractatum de peccatis, ideo hoc reservamus tractandum infra quæstione LXXVI et LXXVII, ubi a D. Thoma plenius tractatur.

QUÆSTIO VII.

DE CIRCUMSTANTIIS HUMANORUM ACTUUM.

SUMMA TEXTUS.

Considerata substantia voluntarii, et involuntarii, agit D. Thomas de accidentibus illius, quæ dicuntur circumstantiæ, quia quasi vestiunt, et circumstant actum.

In articulo primo ostendit circumstantias esse accidentia humanorum actuum, quia sunt conditiones quædam extra substantiam actus, et tamen aliquo modo illum attingunt, seu respiciunt. Quod autem rem attingit, et substantiam non ingreditur, accidens est.

In secundo articulo ostendit circumstantiarum considerationem ad theologum pertinere: tum, quia actus humanus proportionatur fini, qui est beatitudo, cui etiam ratione circumstantiarum actus commensuratur; beatitudo autem spectat ad theologum; tum, quia ex circumstantiis multum pendet aggravatio malitiae, aut excusatio, et bonitatis mensura in actibus; tum, quia ratio meriti, et demeriti etiam ex circumstantiis dependet in multis.

In articulo tertio ostendit convenienter enumerari a philosopho in tertio ethicorum circumstantias, quæ sunt septem, et in illo versu continentur:

Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.

Quid autem per singulas circumstantias intelligatur, statim explicamus.

In articulo quarto ostendit, quod ex istis septem, principalissimæ circumstantiæ sunt quid, et propter quid, id est, effectus resultans, et finis movens. Finis enim est principale motivum voluntatis, unde opus voluntarium dicitur; et effectus resultans est maxime conjunctus operationi. Quanto autem aliquod accidens magis appropinquat substantiæ, principalius est.

NOTANDA CIRCA

ISTAM QUÆSTIONEM.

1. Quatuor propositionibus continetur doctrina D. Thomæ in hac quæstione. Prima: Circumstantiæ recte dicuntur accidentia actuum

humanorum in quantum humani, seu voluntarii sunt.

II. Secunda: Agere de circumstantiis pertinet principalius ad theologum, et secundum plures rationes; licet etiam pertineat ad philosophum moralem, ad politicum, et ad rhetoricum, sed secundum particulares rationes.

III. Tertia : Recte numerantur, et constituantur in moralibus septem circumstantiae.

IV. Quarta : Principales circumstantiae ex his septem sunt illæ duæ quid, et propter quid, seu cur, nam quid significat effectum consecutum, puta damnum, vel emolumen-tum; cur significat motivum ex parte finis.

V. Ex his propositionibus secunda et quarta non habent difficultatem. Circa primam, et tertiam nonnullæ breves difficultates se offerunt, quas interrogationibus, et responsionibus perstringemus.

VI. Primo ergo quæritur, cur solum in actibus voluntariis circumstantiae numerentur, non in actibus aliarum potentiarum, verbi gratia intellectus, aut imaginationis, aut externorum sensuum, cum tamen etiam isti sine circumstantiis non fiant.

VII. Respondetur quod, quia circumstantiae proprie spectant ad exercitium actionis, magis quam ad specificationem; exercitium autem maxime dependet a voluntate, eo quod movet se, et cæteras potentias quoad exercitium, sicut intellectus quoad specificationem. Itaque non negamus in aliis potentiarum circumstantias inveniri, sed secundum exercitium actus, quod tamen dependet a voluntate, et prout circumstantiae proprie spectant ad id quod voluntarium est in actibus, scilicet ad exercitium quatenus a voluntate procedit. Quod autem circumstantiae proprie pertineant ad exercitium actus constat, quia circumstantiae sunt accidentia pertinentia ad esse ipsius actus secundum quas practicatur, et individuat hic et nunc, sicut secundum tempus, et locum, et causam efficientem, et instrumenta efficiendi, et modum efficiendi, quod totum ad exercitium ipsum spectat; ergo

maxime pertinent circumstantiae ad actum in quantum exercitium: ergo in quantum procedit, seu moveretur a principio movente ad exercitium actus, voluntas autem est principium movens, et impellens ad exercitium; ergo actus in quantum exerceatur procedit a voluntate, et sic in quantum circumstantiatur procedit a voluntate; procedere autem a voluntate est esse voluntarium: ergo ad ipsum in quantum voluntarium specialiter pertinet circumstantiari, sicut specialiter ad voluntatem pertinet movere, et dirigere ad exercitium.

VIII. Nec negamus potentias necessario operantes, et non subjectas voluntati exercere actus suos cum circumstantiis, sicut operantur potentiae vegetativæ in tempore, et loco, et cum tali modo, et similiter agentia naturalia, ut ignis, et lapis, et anima, etc. Sed tamen ista agentia non operantur cum omnibus circumstantiis, quia circumstantia propter quid, seu cur, non pertinet ad ipsa, quia non sibi præstinent finem, sed ex fine ab alio imposito moventur, et sic non omnes circumstantiae eis convenient. Et deinde illæ circumstantiae, quas habent agentia necessaria solum materialiter circumstant, et entitative, non formaliter, et objective, quia non cognoscuntur, nec discernuntur in officio circumstanti, ut distinguitur ab eo, quod se habet ut objectum, vel ut substantiam in operatione. Et sic licet ibi in re, et entitative circumstant, sicut et accidentia inhærent, tamen non tamquam ordinatae, et dispositæ ab ipso operante, et sic non se habent ut formaliter circumstantiae, id est, ut dispositæ, et ordinatae in officio, et ratione circumstantiae, quo sensu solum de illis nunc loquimur, prout scilicet veniunt in cognitionem, et conditionem operantis.

IX. Secundo inquires, quomodo intelligatur circumstantiam esse accidens actus humani, seu voluntarii, et quid in tali actu circumstantiato sit subjectum, comparatio-ne cuius dicitur accidens talis circumstantia. Hoc enim maxime præ oculis oportet habere ad discernendum in istis actibus essentiam, seu speciem moralitatis, et accidentia illius. Et est ratio dubii, quia vel istæ circumstantiae intelliguntur esse accidentia respectu actus considerati in esse physico, seu in esse naturæ, vel in esse moris. Si pri-mum, omnis species moralis erit circumstantia, et nulla moralitas pertinebit ad essentiam actus, nec dabitur essentialis species in genere virtutis et moris, sed omnes moralitates erunt circumstantiae, quia comparatione ad esse physicum omnis moralitas accidens est, cum sit regulatio, seu mensuratio ipsius ad regulas rationis, quæ regulatio est relatio seu respectus mensuræ superveniens actui qui in esse physico qualitas quædam est. Falsitas autem consequentis constat, tum; quia dantur plures species virtutum moralium essentialiter differentes, ut justitia, et temperantia, et fortitudo; nec solum accidentaliter differunt; tum, quia D. Thomas in hac quæstione, art. III ad tertium, inquit: « Quod in furto rem esse alienam, non est circumstantia, sed substantia, et in actu fortitudinis fortiter agere propter bonum fortitudinis, non est circumstantia; » et tamen fortiter agere propter tale bonum, et aliena rapere aliquid morale est; tum etiam, quia in confes-sione facienda species peccatorum sunt de necessitate confitendæ; circumstantiae non aggravantes non sunt confitendæ, et aggravantes non mutantes speciem, est sub opinione an obligent ad confessionem; ergo distinguuntur species essentiales

peccati a circumstantia; et tamen spe-cies essentialis peccati moralis est; ergo non omnis moralitas pertinet ad circumstantiam; ergo non con-sideratur solum respectu actus in esse naturæ.

X. Si dicatur secundum, nempe quod circumstantia est accidens respectu actus, etiam in genere morali considerati contra est, quia multæ circumstantiae dant speciem essentialiem in esse moris; ergo fal-sum est quod circumstantiae sint accidentia. Antecedens patet multis exemplis: nam circumstantia loci mutat speciem moralem, ut homi-cidium, vel adulterium in loco sa-cro, constituit sacrilegium; circumstantia personæ mutat speciem, ut si cum soluta est fornicatio; si cum conjugata adulterium, si cum consanguinea incestus. Modus mutat speciem, ut intra vel extra vas ex modo indebito. Finis mutat spe-ciem, ut eleemosyna ex fine vanæ gloriae, vel ex charitate; ergo Con-firmatur, quia vel circumstantia debet esse volita, ut circumstantia sit, vel non. Si non est volita, non pertinet ad actum humanum, sed impertinenter se habet, et extra ge-nus circumstantiae moralis est, quia non cadit sub ejus sphæra, aut con-sideratione, quod non cadit sub de-nominatione voliti: sicut quod non cadit sub denominatione visi non pertinet ad sphæram, terminumque visionis. Si autem est volita; ergo habet rationem objecti; ergo et spe-cificativi, non circumstantis, et ac-cidentaliter se habentis.

XI. Respondetur quod circumstantiae, quæ in præsenti con-siderantur a theologis non sunt circumstantiae, et accidentia ipsius actus solum in esse naturæ considerati, sed etiam ipsius actus ut voluntarii et humani, seu moralis, ita quod in linea morali, et non solum in linea entitative aliquid se habet quiddita-

tive et essentialiter, aliquid accidentaliter et circumstantialiter. Hæc sine dubio est mens D. Thomæ in hac quæstione, a. III ad tertium, ubi inquit: « Quod illa conditio causæ ex qua pendet substantia actus non dicitur circumstantia, sed aliqua conditio adjuncta. Sicut in objecto nox dicitur circumstantia furti, quod sit alienum; hoc enim pertinet ad substantiam furti, sed quod sit magnum, vel parvum. Et similiter est in aliis circumstantiis, quæ accipiuntur ex parte aliarum causarum. Non enim finis, qui dat speciem actus est circumstantia, sed aliquis finis adjunctus, sicut quod fortis fortiter agat propter donum fortitudinis non est circumstantia, sed si fortiter agat propter liberationem civitatis, vel populi Christiani, vel aliquid hujusmodi. » Ubi sanctus doctor aperte ponit pro substantia actus aliquid pertinens ad moralitatem, et non solam physicam entitatem, sicut in furto tollere alienum: nam ly alienum in actu illo tollendi non præbet physicam rationem actui, sed moralem, physice enim, eodem actu tollitur proprium, et alienum, sicut eodem genere actus acceditur ad mulierem propriam, vel alienam. Ergo loquitur de substantia actus in genere morali, quando illam distinguit a circumstantia. Et ratio est, quia non solum actus in esse physico, sed etiam ut commensuratus, et regulans regulis moris habet respectum ad objectum, et ad alias conditiones, quæ non sunt objectum directe, et per se primo, sed aliquid adjunctum objecto, et superadditum, licet cum ipso volitæ, et admissæ a voluntate; ergo respectu talis actus habent se accidentaliter, et non specificative. Consequentia patet, quia etiam in moralibus species quidditativa, et propria sumitur ab objecto, ut D. Thomas docet

infra quæstione XVIII, art. II, sumitur ex illo Osee IX: *Facti sunt abominabiles, sicut ea quæ dilexerunt: abominatio autem ista est moralis, utpote malitiæ, et peccati, et ea quæ dilexerunt sunt objecta voluntatis; ex objecto ergo sumitur moralis species, et constitutio; nec enim objectum potest communicare actibus quidquam, nisi per modum formæ extrinsece moventis, aut terminantis actum; ergo specificantis, quia specificatio in actibus sumitur ex principio, et termino. Antecedens autem est tertium, quia in isto genere, et linea morali, quod est genus commensurationis, et ordinis ad regulas rationis, non solum indiget actus regulari quantum ad præcisam rationem objecti, sed etiam quoad alia accidentia, quæ variari possunt, permanente eodem objecto, et formaliter ratione essentiali, aut aliquando etiam variata, ut qui vult dare eleemosynam, ex objecto suo vult aliquid morale, scilicet exercere misericordiam erga proximum. Regula autem, et ordo rationis plus ordinat, et regulat in actu, quam circa objectum; regulat enim quod fiat tali personæ habenti maiorem necessitatem, quam alteri; quod fiat secreto, et non publice; quod non fiat ex fine vano; quod tali tempore, aut loco fiat, etc. De quibus omnibus habet ratio judicare, et dirigere; ergo regulæ ipsius non solum complectuntur objectum, sed etiam accidentia ista, seu conditiones objecti. Ab ipsis ergo habet accidentalē bonitatem, vel malitiam, quod est circumstantiari, non specificari.*

XII. Quod si tales circumstantiæ sunt, quod a ratione, et regulis ejus non dependeant, vel mensurentur, impertinenter se habent ad moralem actum, quod sic vel sic fiat, verbi gratia si occidit hominem, per accidentem est quod sit induitus ueste ni-

gra, vel rubra: quod ambulans, vel stans, et similia; tales circumstantiæ non pertinent ad accidentia actus moralis, sed extra lineam moralem sunt, et impertinenter ad moralitatem se habent. Aliæ vero conditiones, quæ non habent quidem specificare objective in genere morali, bene tamen conducunt ut moralitas ipsa sic, vel sic se habeat, augeatur vel diminuatur, etc. tales conditiones se habent, ut circumstantiæ morales.

XIII. Ad rationes dubitandi respondetur, quod circumstantiæ sunt accidentales conditiones etiam respectu actus moralis quando munus, et officium circumstantiæ exerceant. Si vero non exerceat formaliter rationem circumstantiæ, sed transeat in conditionem objecti, vel in rationem differentiæ contractivæ generis peccati, tunc non erit circumstantia, sed pertinebit ad specificativum esse entitatem ipsius actus. Quando autem intra limites circumstantiæ manet, aliquando superaddit novam speciem moralem, sed accidentalem ipsi actui; aliquando solum aliquem modum quasi aggravationis, vel alienationis, aut aliquid simile intra eamdem speciem, dicitur circumstantia transire in conditionem objecti, ut quando circumstantia destruit bonitatem objectivam, et loco ejus præbet malitiam, et vitiat objectum: sicut qui dat eleemosynam propter vanam gloriam, ille enim finis adjectus destruit bonitatem illius actus, et subrogat loco illius malitiam vanæ gloriæ: si quidem alli actio elargiendi non servit virtuti misericordiae, sed vitio vanæ gloriæ. Et quia malitia, quam præbet est prima in illo actu, nec supponit aliam priorem, non præbet malitiam accidentalem, sed essentialē, id est, primam illius actus, dicitur circumstantia se habere per modum diffe-

rentiæ essentialis, ut quando aliquod genus peccati de se versatur erga alterum, ut luxuria, et per varias conditiones personarum cum quibus fit accessus, tamquam per differentias essentiales contrahitur illud genus luxuriæ ad varias species, ut adulterium, incestus, stuprum sacrilegium, etc. De quibus agit D. Thomas, 2-2, q. cliv, in quibus differentiæ sumuntur penes ordinem ad diversam qualitatem personæ unde trahitur specialis deformitas in tali peccato.

XIV. Quando vero manet circumstantia intra limites, et linea circumstantiæ, præbetque accidentalem malitiam, fit dupliciter: aut constituendo per se, et ratione sui speciem quamdam propriam malitiæ, vel bonitatis, sed quia supervenit actui habenti jam suam speciem constitutam, ista superveniens accidentalis est, et quasi disparata, ut cum quis furatur propter mœchiam, accidit furto illa malitia ordinandi se ad mœchiam, et tamen in se essentialiter est furtum, et accidentaliter mœchia. Et qui dat eleemosynam, ut satisfaciat pro pœnitentia, habet adjunctam speciem pœnitentiae accidentaliter. Aut fit ista accidentalis malitia circumstantiæ, non addendo novam, sed novum modum intra eamdem, ut furtum in quantitate centum ducaforum additum aggravatum ad furtum decem, sed non novam speciem: peccatum commissum in circumstantia temporis, verbi gratia in die festo, aut parum post communionem, addit circumstantiam quamdam, sed non aggraviatum contra speciale præceptum. Et idem est de majori, vel minori intentione, aut modo operandi in peccato.

XV. Respondetur ergo ad argumentum negando antecedens. Ad probationem ab exemplis, responderetur homicidium in loco sacro habere